



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

IIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

VITA S. VDALRICI EPISCOPI AVGVSTÆ VINDELICORVM, EDITA A BERNONE Abbate Augiensi.

PROLOGVS.



REVERENTISSIMO patri Frideboldo, ac vero sanctæ matris Afræ alumno, Berno Dei matris, mancipium, cum omni contubernio Augiensium fratrum, summum & indeficiens bonum: Miræ charitatis virtus, ex dulcissimo pectoris tui emanans fonte, id exiguitati meæ iniunxit officij, vt libellum de vita ter quaterque beati patroni nostri Vdalrici, veraci quidem, sed simplici, quàm oportuit, sermone editum, cultiori stylo reddam luculentum. Pius quidem iubentis affectus est, sed non æquè facilis parētis esse poterit effectus: quippe cum tarditas ingenij & exteriorum curæ, amarò, vt sic dictum sit, sapore conditæ, me prohibeant tam arduum opus aggredi.

Accedit etiam, quòd venerandæ memoriæ Gebhardus, qui post beatū virum quartus eiusdem Vindelicæ Augustæ ecclesiæ rexit, nulli modernorū Doctorum secundus, idem negocium corrigendi studio attentauit, sed infectum, morte preuentus, dereliquit. Cui si ipse manum extremam imposuisset, paruitas mea omninò super hoc digitum ori imposuisset. Id ipsum tamen, quod composuit, licet eloquij venustatem redoleat, tamen ita verborum ac sententiarum sublimitate se in altum extollit, vt vix aliquis exindè aliquid percipere possit. Alterius verò oratio, etsi rerum veritate subnixa, sic tamen penè videtur humi iacere, vt quisquis sapientium semel hinc potuerit quiddam gustare, pigeat se ulterius ad hanc inclinare. Quocirca venerande Pater, tibi tuisque placuit huiusmodi onus mihi imponere, vt inter vtrosque medius incedens, talem moderato sermone materiam componam, vt ex vtraque parte ad se venientes, media charitate confrata, & paruuli lac, quod fugant, & fortes valeant inuenire cibum, quem comedant. Quod ego omnimodis abhorrerem, nisi scriptum esse scirem: Melior est obedientia quàm victima. Nunc verò si data intercessionis tuæ manu, manui meæ ducatum præbere sponderis, adiunctis tecum beati viri meritis, omnipotentis Verbi, quod aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas, fretus auxilio, obedire tentabo, initium narrandi ab ipsius viri Dei infantia sumens, ac orationis cursum ita ad finem vsque perducens, vt nihil de proprijs addam, præter exempla antiquorum Patrum, atque sententias sanctarum scripturarum, quæ suo decore solent dictorum seriem venustare. Hoc tamen solùm mihi met ex proprio sudore iniunxi, vt latius diffusa, modesta breuitate arctius coercerem: strictius digesta, moderata prolixitate dilatem: minùs regulariter prolata, ad rectitudinis lineam corrigam. Quæ tamen omnia tui examene iudicij expectant, vt te benigno iudice valeant rata consistere. Opto pater beatissime, vt in Christo valeas, mei que memor semper existas.

Gebehard^o Episcopus Augustanus

1. Reg. 15.

Sap. 10.

VITÆ HISTORIA.



GREGIUS Christi Confessor Vdalricus, ex Alamanorum prosapia exitit oriundus. Cuius parentes, Hupaldus scilicet ac Thietburga, ambo quidem secundum seculi huius dignitatem clari & nobiles, sed fide atque diuina religione multò clariores fuerunt atque nobiliores. Qui talis ac tantæ prolis foecunditate diuinitus ditati, mox eadem cuidam fideli ad alendum, vt Moysen, commendauerunt nutrici. Vbi inter ipsa natiuitatis primordia, caelestia non desuere auspicia. Nam licet blando nutrire affectu, foeda tamen macies quædam apparebat in vultu. Qua ex causâ dum nimium tristes eius efficerentur parentes, ac in augustis illorum pectoribus curæ versarentur ingentes: quidam hospes peregrinus, officio clericus, secundum quod illorum ostium semper viatori patuit, benignè ab ipsis suscipitur, per aliquod temporis spatium humanè

Iulij 4. Cap. 1. S. Vdalrici parentes.

Exod. 2.

- tractatur: dum interim quadam die hora refectionis residens, prædictum infantulum nondum duodecim hebdomadarum dies ab ortu ad plenum habentem, audiuit inter vagitus vocem emittentem. Ex qua prouidus futurorum, tale edidit oraculum; Nisi, inquit, iste infans, celerius fuerit ablactatus, non poterit esse saluus. Cumque semel ac secundo admoniti, minus tanti præconis dicta vellent exequi, tertia demum die cum prædictum ac sæpè dicendum infantulum adhibita aure persensisset adhuc infirmior, hanc præfagam coram omnibus intulit vocem; Sciat pro certo, quod nisi continuo à lacte fuerit suspensus, hac nocte erit moriturus. At verò si eo, quo dixi, ordine morti subtractus fuerit, magnus in futurum coram Domino erit. Huius prophetiæ mysteria qualiter sint adimpleta, non nostri styli eget officio designari: quod tam assidue ad eius sepulcrum conuulcantibus miraculis potest probari.
- Cap. 2. Tandem igitur amotus à lacte, cœpit corpore & animo in admirationem omnium ita proficere, ac circumquaque manentibus tantum de suo profectu gaudium conferre, vt id quod de Isaac eiusque patre Abraham scriptum est: Creuit igitur puer, & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis suæ: non incongruè eius quoque possit personæ aprari. Merito tantus patriarcha in ablactatione filij, quem ex promissione à Deo suscepit, grande conuiuium fecit. Merito pater cælestis sanctæ matris Ecclesiæ filijs in istius ablactatione conuiuium fecit grande, inuitans eos huiusmodi voce; Comedite amici, & inebriamini charissimi. Hic itaque mysteriorum Dei dispensator futurus, iam solido cibo opus habebat confortari, vt in mensa altaris Christi, velut ad cælestis conuiuium quandoque consistens, posset in tempore suo tritici mensuram dare conseruis suis. Incipiebat enim tunc inter coeuulos modestè conuersari, timorem Dei habere, honorem parentibus deferre, lasciuiam declinare, ac in quantum possibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu, gestu, incessu foris ostendere, qualis habitus formaretur intus in mente. Videntes autem parentes eius tantam Dei gratiam in eo fulgere, commendauerunt eum in monasterium sancti Galli fratribus religiosis, vt eorum magisterio tam secularium literarum studijs, quam cælestibus instrueretur disciplinis. Vbi inter egregios regularis disciplinæ magistros, dulces theoriæ carpebat quotidie fructus; cum verba, quæ in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Iam summitem illius Iacob scilicet virtutum gradibus ascendendo tangebatur iam à Salvatore audiebatur.
- Gen. 28. Vade, vnde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Et iam tunc monachicæ conuersationis habitum sumpsisset, nisi diuina reuelatione admonitus desisset.
- Matth. 19. Erat tunc temporis in eodem monasterio quadam ancilla, pro Christi nomine inclusa, vniuersa nuncupata, quæ die noctuque ieiunjs, orationibus ac vigilijs vacans, castum in arcano pectoris sui Domino præparabat templum, in quo gratum creatori omnium macrauit semper holocaustum, dicens cum Psalmista; In me sunt Deus vota tuæ, quæ reddam laudationes tibi. Huic sanctus adolescens dum sui desiderij secretum panderet, illa rem à Deo quærendam statuit, ac trium dierum inducias super hoc postulauit. Post triduum verò spiritu instructa diuino, huiusmodi vsa est responso; Non, inquit, vir religiose, diuinæ est voluntatis, vt hoc in loco detinearis: sed est in plaga Orientali locus, vbi quidam fluius duas diuidit regiones, in quo, Deo iubente, episcopalis apicem dignitatis debes conscendere. Et licet multa tam à paganis, quam à malis Christianis sis passurus aduersa, tu tamen, confisus in eo, qui dixit; Confidite, ego vici mundum: superabis vniuersa, dicens cum Psalmista; In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Hæc auditu percipiens ac mente pertractans, quibusdam, qui sibi familiaris amicitia causa adhærebant, secreto pandit, & vt interim silentio tegerent, admonuit. Ipse verò per diuersos sacrorum librorum campos ceu prudentissima apes, flores sententiarum carpens, ac in alucrio pectoris sui recondens, summa cœpit ope niti, vt spiritalia posset mella conficere, quæ postmodum in populos illum deceret eructare, iuxta illud Psalmista; Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauam ori meo. Et quod de prædicatoribus dicitur; Memoriam abundantia suauitatis tuæ eructabunt. Dehinc ad vnguem instructus, cum omnium fratrum conuiuentia remeavit ad propria. Parentes verò de eius profectu nimium gaudentes, ac Deo gratias agentes, iterum commendant eum Adalberoni, Augustensis ecclesiæ præfati venerando, viro fidei dote ac vitæ merito multis præferendo: quatenus reuerendæ illius præsentia iugiter assistens, velut in quadam disciplinæ speculo conspiceret, si quid in ipsius moribus adhuc corrigi deberet.
- Quem

Clerici vaticinium de infante Vdalrico.

Cap. 2.

Gen. 28.

Cant. 5.

Luc. 12.

Mores adhuc pueri.

Traditur fratribus monasterij S. Galli instituentus.

Gen. 28.

Matth. 19.

Cap. 3.

Vniuersa inclusa.

Psal. 55.

Iohan. 16.

Psal. 59.

Psal. 118.

Psal. 144.

Commendatur Adalberoni Episcopo Auguitano.

Quem ut prædictus Dei pontifex fide firmum, spe robustum, charitate radicatum & fundatum, omnique morum probitate decoratum agnouit, familiarius illum adsciuuit, eiusque domi forisque, in omnibus uti consilijs coepit, quatenus eius prudentia, totius episcopatus disponerentur negocia, tam publica, quam priuata.

Libuit interim viri Dei animo Romam pergere, Apostolorum limina visitare, ut se suaque omnia ipsorum aliorumque sanctorum precibus posset attentius commendare. Quod cum venisset, ab Apostolica sedis Præsule, nomine Marino, apud Deum & homines magnifico & glorioso, officiosè susceptus, ac requisitus quis esset, aut unde venisset, respondit, se ex Alamānorum stirpe progenitū, Adalberonis Augustensis ecclesie esse clericum. Ad hæc Apostolicus: Nè dure, inquit, accipias, quæ dico: quia idem, de quo retulisti, tuus pontifex Adalbero iam migravit de hoc seculo, ac Dei ordinatione dispensante, oportet te huius regiminis curam suscipere. At ille propria conficius infirmitatis, immò non immemor illius mandati: Quāto magnus es, humilia te in omnibus: iudicauit seipsum indignum fore, ut tanti honoris pondus subiret. Tunc Papa diuino spiritu repletus ait: Si nunc delitescendo subterfugis, quò minus in hoc pacis ac tranquillitatis tempore Ecclesie nauem gubernes, veniet dies, in qua nullo modo statuta Dei præterire valebis, verum etiam inter multiplices ac fluctuargas varij laboris, mœroris, anxietatis vndas regendam suscipies, ac Deo præfule, ad litus placidæ quietis acsi nimium fessus, perduces. His auditis, ad * metatum perrexit, atque inter sacra orationum libamina, tam se, quam defuncti senioris animam cum lachrymis Deo ac sanctis Apostolis eius commendauit: sicque postera die, nesciente Papa, latenter discessit, etiam in hoc Dominica actionis exemplum sequens, de quo sanctus Iohannes Euangelista refert, quia cum voluissent eum rapere & regem constituere, statim fugit. Sed mox ut bonæ memoriæ Adalbero ex hac vita migravit, Hiltinius ei in episcopatu successit. Quo post quindecim annorū curricula ex hac luce subtrahito, volente Domino hoc, quod de seruo suo Vdalrico per ora suorum fidelium antea prædixit, adimplere, totius cleri ac populi voto in vnum concurrente, & Henrici regis voluntate in idipsum consentiente, idem vir Dei sanctus in cathedram episcopalem hac in vrbe est sublimatus.

Adepto verò tantæ dignitatis honore, qualis quantusve extiterit, nullius sermo ad integrum explicare valebit. Totus erat semper in oratione, totus in lectione, & maxime attendens, quibus virtutum ornamentis Apostolus describebat episcopum decoratum esse debere, vbi sic ait: Oportet enim episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non perculso-rem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere. Harū duarum virtutum ita vicaria vtebatur successione, ut nisi in euitabili alicuius necessitatis articulo intercedente, nullum tempus transire sineret ociosum, quo minus aut orationi insisteret, aut lectioni operam daret: sicque, penè semper optatis Rachel amplexibus vteretur, nisi Liæ interpositione interim à tantæ sedulitatis dulcedine suspendere- retur. Suberant ei cura maximæ de reparandis ecclesie muris, de reedificandis domo- rum ac ipsius ciuitatis ædificijs, quæ sub antecessorum suorum temporibus aut nimia verustate dilapsa, aut igne fuerant consumpta. Sed & familia maxima ex parte à paganis occisa, & pars, quæ remanserat, egestate nimium erat afflicta. Inter hæc venerabilis heros, velut antè & retrò oculatus, coepit cauta mentis intentione circumspicere, prouidam omnium curam gerere: ac sapienti vsus consilio, materialibus quidem ædificijs prudentes ac idoneos magistros præfecit: ipse verò quasi sapiens architectus, cum Apostolo Christum fundamentum posuit, super quod ædificauit aurum, argen- tum, lapides preciosos, & cætera huiusmodi: ut sanctarum animarum ædificatio, per eius prædicationem cõstructa, cresceret in templum sanctum Domino. Et quoscum- que ad tale ædificium verbo & exemplo præparabat, cætera humanitatis officia, prout illi facultas suppetebat, præbere non desinebat, non solum his, qui præsentibus aderant, manum misericordiæ porrigendo, verum etiam eis, qui ægritudine præuenti, vel carceribus inclusi longè aberant, ministrando.

Nulli itaque auarus, omnibus extitit largus, ita ut illud beati Iob posset dicere: Benedicti perituri super me, veniebat, & cor viduæ cõsolatus sum. Et paulò post; Oculus sui cæcus, & pes claudus: pater eram pauperū. Et iterum: Flebam quondam super

Cap. 4.
Romam pe-
tir.
Marinus
Rom. Põtif.

Eccles. 3.

Clam ab vr-
be recedit,
fugiens epi-
scopatum.
Ioh. 6.

Hiltinius

Fit episcop.
Augustan.

Cap. 5.

Tit. 1.

Semper aut
orat, aut le-
git.

Restaurat
ecclesiam &
ædificia, ni-
mia vetusta-
te dilapsa.

1. Cor. 3.

Cap. 6.
Iob. 39.

- Pauperes semper habet conuiuas. Nō vescitur carnibus. 1. Cor. 9. eum, qui afflictus erat, & cōpatiebatur anima mea pauperi. Vndē in refectioe quotidiana semper eius mensa chara sibi intererat pauperum turba, quam & victu pauit, & indumentis vestiuit. Seipsum verò nimia maceratione castigauit, ita vt carnem nō manducaret, & intrinsecus super nudam cutem laneam vestem portaret, illud Apostoli opere proclamans. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et nocte quidem in oratione peruigil, seipsum in ara cordis per orationis studia mactauit, die verò super altare visibilē ac salutare hostiam Domino immolauit, quò eius sacrificium redemptori omnium esset gratum & acceptum. Die cum Martha Domino in membris suis ministrabat: nocte verò cum Maria sedens secus pedes Iesu, audiebat verbum illius, sciens scriptum.
- Luc. 10. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Erat ei solennis consuetudo, post Completorium nil cibi aut potūs sumere, silentio studere. Sciebat enim à Domino dictum. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Vndē ingiter à Domino postulabat. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Sed si quando necessariò ei loquendum fuit, erat illius sermo sapientiæ sale conditus, modestus, humilis, & ad persuasionem vilis, & vt quidam sapiens dicit, in sermone pondus, atque in verbis modus. Quando verò membra in Lectus eius qualis. seruitio fatigata necessè habuit quiete aliqua recreare, non hoc in plumarum mollitie, sed subterposito psathio, tapete, vel sacco, parum quid indulgebat somno. Et vt breuitatis compendio utar, sic exterius gerebat officium sacerdotis, vt interior non omitteret religionem monastica conuersationis. Erat etiam ei moderata ciborum paritas, ac quidam singularis abstinentiæ modus, quo solebat religiosa arte secum conuiuantes circumuenire. Sapiens enim sperantibus, quòd cum illis manducaret, ipse ablata carnalium epularum mensa surgens, ad ecclesiam perexit, Missarum solennia celebravit. Vndē adhuc quasi recenti sit actum memoria, ore multorum referunt, quòd dum quadam die ipse venerandus pater cum Conrado diua memoriæ Constantiensis ecclesiæ Episcopo, ad prandium apud sanctam Afram martyrem condesideret, postquam consumptis cibis ab utrisq; discessum est, quædam causa extitit, qua prædictus pontifex ad virum Dei mittere debuisset. Ad quem cum legatus ipsius venisset, inuenit eum sacro altari adstantem, ac salutarem hostiam Domino immolantem. Quo peracto, nuncium audiuit, atq; absolutum redire ad dominum suum permisit. Cum quæ reuersus interrogaretur, cur tandiù moratus fuisset, respondit quia virum Dei tandiù expectasset, donèc ter Missarum solennia peregisset. At ille ipsum verbum ab illius ore arripiens. Missarum, inquit, solennia celebrauit? Tunc quasi subridendo intulit. Et verè nullus illo saturior ad mesam altaris hodiè accessit. Sed vtrumnam ioco, an seriò hoc protulerit, tamen verum fuit, quod dixit. Cibauit nanq; Dominus illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum, ita vt rectè cum Palmista possit proclamare & dicere. Eructauit cor meum verbum bonum, & iterum. Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est? Vox psalmodiæ tam iugis in illius ore dulciter resonabat, vt non solum ipse, sed & illi, qui eam soliti erant cum illo pura mentis intentione cantare, tantam cordis munditiam ex ea conciperent, vt quædam ex reuelatione diuina occulta cognoscerent, quæ alijs manifestarent. Vndē exempli causa quædam subtrernorabo, quatenus vera esse approbentur quæ dico.
- Eccl. 15. Quodam tempore cum artifices ecclesiæ cryptam in melius reparare vellent, erat quidam clericus nomine Rambertus, sancti viri obsequio deditus. Hic quadam die in excessu mentis effectus, videbatur sibi cum domino suo Episcopo solito more Psalmos canere, necnon Adalberonem quondam, vt supradiximus, pontificem ad Aquilonarem eiusdem cryptæ plagam sacerdotalibus in dutum vestibus propè assistere, sibi que, vt ad se veniret, innuere. At ille mente perculsus, ac inter viuum & mortuum quid ageret, dubius ac anceps, tandē in viuentem pauens figit obtutus, velut sciscitans quid esset facturus. Tunc episcopus. Vt quid, ait, sic in me oculos defigis? Cui ille respondens, dixit. Ecce dominus meus Adalbero Episcopus, ad celebrandū diuinum mysterium paratus adstat, & me ad se vocat. Cui Episcopus. Festina, inquit, iri, eiusq; iussis in omnibus obedire. Qui mox vt propius accessit, hæc ab eo audiuit. Ramberte, dic domino tuo, quia magnā à Domino mercedē habebit p orationibus ac eleemosynis, quas pro me fideliter exhibuit. Et hoc sibi sit in signū, quòd ego & Fortunatus in proxima Cœna Domini, concedente Deo, sacrosanctum chrisma cum illo sanctificabimus?
- Cap. 7. Visio Ramberti.
- Merceres magna operum bonorum.

ficabimus: insuper edificatio istius cryptæ ruet citissime. Ipse autem propter hoc ab incepto non desistat opere, quin illud firmioribus studeat fundamentis stabilire. Fratres quoque admonere curato, quia orationes, quas sua sponte se facturos pro me sponderunt, nequaquam, sicut promiserant, impleuerunt. Et nisi hoc studuerint emendare, sciant se pro hoc in conspectu Domini rationem reddituros esse. Episcopus autem à ciuitate regia reuertens, (nam tunc temporis ibi morabatur) ita de crypta contigisse reperit, sicuti per visionem Ramberto ostensum fuit. Tunc ille impatiens mora, non antea à labore cessauit, quam omnia in meliorem statum reparasset. Iterum alia vice cum prædictus Rambertus iuxta morem in oppido Vuaringa cum sancto viro Psalmodiam decantaret, cepit terrore nimio concuti, ac reflexis oculis Deo dignum antistitem intueri. A quo requisitus quidnam sibi esset, respondit seniore suum Adalberonem eodem, quo & antea, ornatu paratum se videre, sibi que præcipere, ut illi sacri altaris mysterium celebranti assistat, solitaque seruitutis officium impendat. Verè impleta est propheta, quæ dixit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Psal. 17.

Nec præterendum puto, qualiter cælestis signi visione ipsum etiam voluerit Dominus mirificare. Nam in ipsa solenni die sancti Paschæ, multa fratrum caterua adstante, dum sanctus sacerdos diuina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera diuina sanctificauit sacramenta. Expletis verò Missarum solennijs, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens, tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum vsque in cubiculum, ad eius pedes cecidit, atque in presentia popularium personarum eandem visionem minus cautè explanauit. Cui vir Dei: Melius, inquit, tibi esset tacere, quam talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exiit, & in vestibulo cubiculi residens, tantas lachrymas emisit, ut exillarum suffusione cogeret lucis huius dispendia sustinere. Vir autem Dei memor sue fragilitatis, cauebat fauorem humanæ laudis, nè caderet in precipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili eius dono, & sicut de sanctis scriptum est: Ibunt de virtute in virtutem, velut caeleste animal, ante faciem suam gradiebatur, ut eò mente conscenderet, quò cum impetus spiritus duceret. His virtutum gradibus ad alta proficiens, quadam nocte, quæ antecedebat diem sanctum, què diem indulgentiæ vel Coenam Domini Christiana religio vocare consuevit, vox quædam beato sicuti in visu: Vdalrice Episcopi, scias te hospites suscepturum esse. Expergestus, cepit secum admirando tractare, quoniam illi hospites futuri essent. Non enim erat inanis sopor ille, qui solet aliquoties hominum mentes illudere: sed talis potius, quali sponsa se dicit in amoris Cantico ob dormire: Ego, inquit, dormio, & cor meum vigilat. Talis igitur somni dum vir Dei frueretur quiete, iterum vocem in hæc verba meruit audire: Orationes tuæ & elemosinæ, Vdalrice, Deo sunt acceptæ, qui binis antecessoribus tuis, Fortunato scilicet atque Adalberoni, te commendaui, ut tibi horum die & deinceps sacra mysteria celebranti assistant, & ea tecum benedicant. Manè autem facta, hora, qua inclytus mysteriarches diuina sacramenta celebrauit, quibusdam etiam, qui ad videndum digni erant, cernentibus dextera Domini denuò apparuit, quæ cum sancto Episcopo signo Crucis imponendo eadè cõsecrauit. Idem ipsi cum ad percipiendam sacram communionem ad sacrum altare accederet, & sanctus Dei illos huius secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quando panem eis Dominicum porrexit, ori singulorum digitum superposuit, ut per hoc intelligerent, quòd visa minimè diulgare deberent: quin etiam expleto sacrorum officio, ad se vocatis reuelati sibi in nocte præterita mysterij ordinè exposuit, & tam hoc, quam quòd ipsi viderat, alicui dicere, donèc ille maneret in carne, interdixit sub interminatione præsentis vitæ.

Alio verò tempore, dum iterum sub cuiusdam noctis silentio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eique dixit: Surge, & sequere me. Et statim eduxit illum in campum, qui ex nomine ibidem decurrentis fluminis, Lecfelt dicitur, vbi sanctum Petrum Apostolorum principem velut in synodali colloquio sedentem inuenit cum magna Episcoporum aliorumque sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primum, reuelante sibi gratia diuina, cognoscere cepit. Ibi inter alia, quæ tractabantur, sicut olim in Apocalypsi sancti Iohannis, audita est vox animarum, de suis interfectoibus vindictam expetentium: ita tunc clamor ortus est sanctorum de Arnulpho Duce Noricorum Cap. 9.
S. Afra ei
apparet.
Mira eius
visio.
Apoc. 6.

Sancti viti-
onem expe-
runt contra
Arnulphum
Ducē, &c.

* Alij regem
Italiæ vo-
cant.

Actor. 10.
2. Cor. 12.

1. Cor. 15.

Cap. 10.
Matt. 25.
Luc. 19.

Crebrò visi-
tat dicece-
sin suam.
Nota for-
mam visita-
tionis.

1. Cor. 9.

Matt. 10.

Ius familiae
S. Mariae.

Tob. 4.
Matt. 7.

Cap. 11.

Discordia
inter Ludol-
phū & Hen-
ricum prin-
cipes.

rum adhuc viuentē, ob destructionem ecclesiarum atq; monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter dictante omnium sententia, damnatus est pœna. Proferebantur in medium etiam duo enses: vnus quidem cum capulo, alter verò absque capulo. De quibus princeps Apostolorum ait ad beatum virum; Dic regi Henrico. Ensis absque capulo, significat illum, qui sine vnctiōe regnat in populo. At alter capulatus, illum, qui per sacræ benedictionis ordinem diuinitus fuerit coronatus. Finito sanctorum concilio, prædicta Dei martyr sanctissima monstrauit illi adhuc loca, in quibus Otto rex postea castra posuit, & generale colloquium cum suis habens, Berengarium regem Longobardorum, cum multis alijs præsentata, in suum suscepit dominium. Prædixit etiam efferae gentis Hungarorum irruptionem, durissimamque cum nostratibus congressionem, necnon & loca certaminum, & licet cum magno suorum detrimēto, tamen victoriæ triumphum promisit populo Christiano. O beatum virum, caelesti visione dignum, in talibus etiam sanctis Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, conferendum, quorum alter in linteo caelitūs demisso, electionem gentium per visionem didicit, alter verò, siue in corpore, siue extra corpus, vsq; ad tertium caelum raptum se esse asserit, vbi & arcana Dei audiuit & vidit. Iste verò sanctus & in ostensione dextræ sacræ super altare, & in hac visione, & postmodum in alijs, vt ante exitum nostri sermonis satis patebit, & arcana Dei vidit & audiuit, & saluationem non tantum suæ gentis, sed & multorum populorum cognouit. Hæc non passim tunc vulgi auribus se inaniter iactando diuulgauit, sed paucis, quos ad hoc dignos duxit, secretò manifestauit. Ipse verò sentiens se tanto diuine gratiæ dono præuentum, non se erigebat in altum, sed omnia referebat ad illum, à quo acceperat, quicquid boni habebat, vel esse poterat, dicens cum Apostolo. Gratia Dei sum id, quod sum.

Cœpit igitur committi sibi gregis curam agere, talentum sibi creditū non sudario illigatum terræ commendare, sed vt bonus verbi Dei dispensator, ad vsuram accommodare. Vndè suæ diocesis terminos sæpius lustrauit, ac cōgregatis coram se clericis ac laicis, per uigili studuit cura inuestigare, in primis qualiter ipsi ecclesiarum presbyteri cum suis ministris viuerent, vtrum populum rectè ac secundum catholicam doctrinam docerent, ac quod prædicabāt ore, & opere implerent, nè fortè alijs prædicantes, ipsi reprobi efficerentur, & ob hoc à suis auditoribus contemnerentur. Deinde discutiebat, si laici eorum doctrine obediunt, si in Dominicis diebus & alijs sanctorum solennitatibus ab opere illicito vacarent, si ecclesiarum limina ea, qua deberent, deuotione frequentarent, aut Decimas rectè darent, multa que id genus. His ita inuestigatis, quæque erant rata & benè ordinata, laudauit & confirmauit, quæ verò aliter, correxit & emendauit. Simoniacorum hæresin quasi perniciosam pestem deuitandam esse admonuit, asserens perpetuæ tradendos pœnæ, qui hæresi huic nequissimæ studerent animos inclinare. Vndè nunquam pro Clericorum ordinatione, vel ecclesiarum consecratione quippiam muneris accepit, sed sicut in sacri christiani vnctiōe per impositionē manūs spiritum sanctum paraclætum gratis dedit, ita & ista concessit, sciens à Domino præceptum. Gratis accepistis, gratis date, nisi fortè ipsi ecclesiarum fundatores aliquid pro bona voluntate offerrent, & hoc illum pro gratiarum actione suscipere rogarent. Ius verò legitimum sanctæ Mariæ semper virginis familiæ, ab antecessoribus suis antiquitus concessum, statuit inuiolabiliter conseruandum, nec quenquam in sua ditione degentium lædi permisit oppressiōe præpositorum, sed ita inter suos omnia ad æquitatis ac iustitiæ normam perspicaciter correxit, vt nullum alteri aliquid inferre sineret, quod ipse sibi fieri nollet, iuxta illud præceptum. Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris. Et Dominus in Euangelio. Omnia quæcunque vultis, ait, vt vobis faciant homines, eadem & vos facite illis.

Cum in his & huiusmodi virtutum gradibus sanctum virū semper ad altiora conscendere omnium bonorum hostis inuidus cerneret diabolus, quacunquē potuit arte, cœpit satagere, vt eius animum vel quantumcunque posset impedire. Accidit igitur tunc temporis, vt inter Ludolphū Ortonis Magni Imperatoris filium, qui Alamannorum genti præerat, & eius patruum Henricum Noricorum Ducem, oriretur lis odiumq; per instigationem satanæ, & ex malignorū hominum persuasiōe. Quos cum Imperator ad concordiam minimè reuocare potuisset, fratri adiutorio contra filium fuit. Tunc quidam Arnulphus Comes Palatinus, Arnulphi quondam ducis filius extitit, cuius fidei prædictus Dux Henricus totam Baioariam cum ipsa metropoli Ra-

li Ratispona commendauit, ac in Saxoniam ad Imperatorem se contulit. Ibi eo moram faciente, ille velut perfidus transfuga, se cum ipsa ciuitate & multitudine populi, Ludolphi subegit potestati. Hęc cum sancto Pontifici comperta fuissent, relicta militum custodia in ciuitate Augusta, in Noricorū regionem properē cōtendit, vbi tunc Imperatorem cum exercitu consistere audiuit. Præfatus verò tyrānus Augustā adiit, ac rebus circunquaq; direptis, quibusdam Episcopi militibus captis, prædā onustus, & quod verius est, peccati pondere grauatus, in Baioariam est reuersus. Interim verò ipsum Dei famulum postquā comperit à regia seruitute reuersum, in castello, quod Mantachinga dicitur, non timuit obsidere, sed non cessit ei in prosperum, quod talia præsumpsit cōtra Dei seruum. Nam paruo interiecto dierum spatio, à Comite Adalberto ac Episcopi fratre Thietbaldo ab obsidione cum detrimento suorum coactus est secedere, & debita respersus cōfusione, in patriam redire, etiam ibi capto eiusdem fratre Herimanno. Sed & fortissimus pugnator Adalbertus, velut alter Machabæus, pro Ecclesia Dei acriter dimicando, cecidit in eodem bello, vt veraciter est credendum, per mortalitatis dispendium transiens ad immortalitatis compendium. Cuius corpus sanctus Vdalricus Augustam deferens, in ecclesia sanctæ Mariæ semper virginis condidit, spiritum verò per sacræ immolationis hostiam Domino commendauit.

Obsidetur
vir sanctus
in castro.

Ex hoc tantus omnium mentes timor inuasit, vt nullus de rebus ecclesiæ sanctæ Mariæ semper virginis ad Augustam pertinētibus, aliquid vsurpare præsumeret, quia nullus eorum, qui antea inde aliquid iniuste abstulerunt, vel in sanctum Dei deliquerunt, impunitus euasit, nisi qui per dignam satisfactionem per misericordiam Dei, Episcopo intercedente, promeruit absolutionem. Vt enim ex pluribus pauca exempli causa proferamus, vnus ex his, vicinis in veritate contestantibus, tandiū perduto sensu proprias manus lacerauit, quousquē vitam finiuit. Alius verò librum quendam de ciuitate Augusta rapuit, ex cuius precio caballum emit. Quem cum domum perduxisset, vxori suæ ait: Melius mihi fuerat, vt istum tam præstantis formæ equum emissem, quàm librum, quo illum comparauit, in Augusta dimissem. Cui illa: Vtilius, inquit, vt spero, tibi fuisset, si nunquā manus tua ipsum librum tetigisset. Ille verò, dum molli tactu per posteriora dorsi, vt assolet, equo blandiri voluit, mox ab eodem percussus interiit. Post non multum temporis præfatus Arnulphus pro iniurijs, quas viro Dei ingessit, etiam ipse iusti iudicis iram sensit, obfessa nanque ciuitate Ratispona, paratus ad prælium exiit, ibique occisus interiit.

Cap. 12.
Nemo impune quicquid rapuit de rebus ecclesiæ sicut s. Mariæ.
Exempla vlti sacrilegij.

Arnulphi principis interiit.

Quidam homo de Episcopatu, qui Eistete dicitur, partem vilissimi mensalis de sæpeditis rebus iniuste vsurpauit, secumque absportauit. Sed mox à demōnio occupatus, nullum neque intrā neque extra ecclesiam abscondendi locum inuenire potuit: nec benedicta adspersus aqua, carere valuit eius præsentia, quin semper iuxta eū videretur indiuiduus comes manere, donc Augustam rediens, rem iniuste ablatam reddidit, seseque emēdari obnixè rogauit. Cui Episcopus, vt totus erat visceribus pietatis plenus, & indulgentiam pro Christi amore tribuit, & à demōne liberatum, ad propria redire permisit.

Interea dum cōtentio inter Ottonem Imperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, vt supra diximus, & Ludolphum exorta, intantum accreuisset, vt nō aliter nisi ferro finire potuisset, iamq; acie vtriusq; partis ordinata, vt cominus committi deberet pugna, athleta Dei Vdalricus, sciens quia beati sunt pedes pacē portātes, & quod ipse Dominus in euangelio ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, assumpto Hartberto, Curienfis ecclesiæ Episcopo religioso, se in medium iniecit, ac tantā arte suadendi aggressi sunt, spiritu patris in amborum ore loquente, vt facile ad pacis fœdera reuocarent, & verę charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent. Non aliter tunc Otto pœnitētem Ludolphum, quā ille euangelicus pater olim suscepit reuertentem filium. Vterque enim filius mortuus fuerat, & reuixit, periērat, & inuētus est. Fit gaudium ingens & exultatio in exercitu cuncto. Laus & gratiarum actio resonat in ore omnium, quia per seruos suos liberauit Dominus populum suum.

Cap. 13.

Esa. 52.
Matt. 5.
Mira dexterritate, immo Christi gratia auertit prælium crucem, & cōciliat Imperatorem filio.
Luc. 15.

Sequenti verò anno, id est, Dominicæ incarnationis nongentesimo quinquagesimo quinto, gens Hungarorum omni belua crudelior, iuxta quod viro Dei cælitus antequam fuerat reuelatum, cum innumerabili multitudine erupit, omnemq; Noricorū regionem à Danubio vsq; ad nigram syluam, quę ad montana pertinet, & partem provincie

Cap. 14.
Hungari in Germaniā crumpunt.

uinciae Alamannorum vsque Hilarum fluuium, deuastando occupauit. Quae Licum transiens, ecclesiam sanctae Afrae igne combussit, atque ciuitatem Augustam obsidione circumdedit. Sanctus autem Dei pontifex nequaquam, visis tot lupis, instar mercenarij, sui gregis custodiam fugiendo dereliquit, sed ex aduerso se opposuit, ac totam causam Domino commendauit. At militibus circumquaque per murum & ante portam acriter contra hostes dimicantibus, ille super equum sedens, non clypeo protectus aut galea, sed stola indutus, intra lapidum ac sagittarum imbres incedebat securus.

Iosue 6.
S. Vdalticus
alter Iosue.

Videres nouum Iosue arcam Domini circumferre, buccinis concrepare. nisi quod Iosue extra muros vrbs Iericho, iste vero intus erat cum Dei populo. Sed merito noster Iosue, iam coruscante gratia Christi, intus in domo Rahab ad Deum conuersa, hoc est, Ecclesiae, manebat, & ciuitatem diaboli foris manentem expugnabat. Iosue duce sacerdotibus, qui arcam Domini ferebant, buccinis clangentibus, ac cunctis populis clamantibus vociferatione maxima, muri Iericho funditus corruerunt. Isto arcam Domini in pectore mundo gerente, & cum sacerdotibus ac Leuitis tubis, id est, psalmis, hymnis & canticis spiritualibus sonantibus, cunctisque populis maximam precem ad Deum & ad eius sanctam genitricem Mariam semper virginem pro sua erectione clamantibus, Hungari, qui erant ciuitas diaboli, ceciderunt. Comperto namque Otto-

Multa Hun-
garorum mil-
lia cecidit
Otto Im-
perator.

nis gloriosissimi Imperatoris aduentu, retracta obsidione, obuiam pergunt, armisque decertare contendunt. Inito praelio, Deo, iuxta viri Dei praesagium, victoriam populo Christiano donante, multa millia Hungarorum ceciderunt, caeteri fugam arripuerunt. Quos Christianorum exercitus tandiu cadendo persecutus est, donec principes eorum cum alijs multis vna caperentur, atque Ratisponam perduceretur, ubi ad ignominiam suae gentis postmodum suspensi sunt in eculeis. His ita gestis, praesul venerandus Deo in omnibus gratias agens, velut ex arce quadam mentis coepit dispicere, ac subditorum necessitates pertractare, non sibi ratum aestimans, si solummodo ea, quae sua essent, quaereret, suorumque causas negligeret, iuxta illud Apostoli: Qui suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est deterior infideli. Vnde suorum congregationes clericorum, quae hostium depradatione ad tantam fuerunt inopiam redactae, vt ad quotidianam refectiois usum nil possent habere, secum retinuit, ac in quantum potuit, pauper ipse praesentis vitae necessaria pauperibus ministravit, & non solum illis, sed & omnibus se petentibus, prout habuit, misericordiae manum porrexit, iuxta illud Dominicum praecipuum: Omni petenti te, tribue.

1. Tim. 5.

Luc. 6.

Cap. 15.
Simpertus
Episcopus
Augustan.

Eo tempore admonetur in visione, vt ecclesiam sanctae Afrae, quae a paganis fuerat concremata, non tardaret reparare, nec non & Simperti Episcopi sepulcrum, quod situm erat iuxta gradus in choro, congruo procuraret recto. Ex hoc coepit Dei famulus in ieiunijs & precibus cum cordis contritione, alijs quoque viris religiosis secum assumptis, se Deo mactare, supplicans deuote, quatenus omnipotens Deus per misericordiam suam dignaretur sibi manifestare locum, vbi sanctissimae martyris suae corpus esset reconditum, vel si in parte orientali crypta eo loci esset aedificanda, vbi suadebat ei voluntas sua. Ergo vt Dominus verum comprobaret, quod per os sancti Dauid dixit: Ecce oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, & in alio loco, Voluntatem timorem se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, quadam nocte in visu ei sancta Afrika apparuit, & locum sui corporis in ecclesia demonstravit. Cryptam vero illo in loco fieri prohibuit propter reliquias sanctorum, qui illic in pace quiescentes, aduentum iusti iudicis expectant. Hac reuelatione perdoctus, coepit destituto operi vigilanter insistere, ecclesiae muros instaurare, cryptam in occidentali parte construere, nec antea a labore cessauit, donec breui omnia perfecto decore consummavit.

Psal. 33.
Psal. 144.

S. Afrika indi-
cat ei sepul-
crum suum.

Aedicula
murata sub
terra.

Poenam teme-
rarij hortu-
lani.

Dignum est nunc demonstrare, qua ueneratione dignus sit locus ille, in quo sancta Dei martyr prohibuit cryptam fieri. Erat quidam hortulanus, qui inter gramina ibi deambulando, speluncam quandam reperit, in qua & transformatam aediculam sub terra muratam conspexit. Et veniens, Episcopo nunciauit, ei que dixit: Si tua placeat sanctitati, hic olera mea & alia, quae mihi sunt necessaria, possunt recondi. Cui ille in spiritu dixit: Si hoc feceris, mox sensu & membrorum sopitate carebis. Sed miser haec parui pendens, suppellectilem suam in praedictam speluncam congregauit, statimque sensum cum visu & auditu perdidit. Qui ad sanctum Dei perductus, vt reatum suum agnouit, veniam petijt, ac indulgentiam cum sanitate promeruit. Mira dicturus sum.

Ex illa

Ex illa nanque hora nunquam ab hortulano ipsa reperiri potuit spelunca. Ex eo tempore cœpit vir Dei sanctum illum locum magis frequentare, sibi que sepulcrum ibi preparare. Vbi omni sexta feria, si domi esset, solebat salutarem hostiam Domino immolare.

Interea orationis causa Romam perrexit, vbi & caput S. Abundij martyris acquisiuit, secum que religiosa cum deuotione Augustam reportauit. Solebat loca sancta visitare, ac precipue monasterium sancti Galli, vbi nutritus erat & eruditus. Inde cum quodam tempore ad cellam S. Meinradi, ad videndum seruum Dei Euerhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraternæ collationis dulcia colloquia, cum iam prælibatis osculis sanctus Episcopus disposuisset redire in sua, & ea vice speraret Dei famulū non amplius esse visurum, iamq; ire cœpisset, festinatò anhelus cucurrit, atque iterans oscula charitatis, in hanc vocem lachrymabundus erupit: Ex hac hora non videbimus nos vterius in hac vita, donè corporibus exempti, videre nos mereamur in præsentia Dei. Cui Episcopus dixit; Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meæ resolutionis instare, quo debeam ex hac vita migrare? Cui ille respondit; Finis quidem vitæ tuæ adhuc non erit, sed verum esse quod dico, exitus rei comprobabit. Tunc discessum est. Sed antequam Episcopus eandem cellam iterum visitaret, ille Dei famulus Euerhardus de hoc seculo migravit. Processu quoque temporis locum Agaunensium, vbi S. Mauricius cū sacra legione quiescit, orandi gratia adiuit, ac non modicas Thebæorum martyrum reliquias acquisiuit. Quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio sanctæ Dei genitricis cū hymnis & psalmodijs religiosè collocauit. His quoq; diebus venerabilis heros ad monasterium Insulansense, quod Augia dicitur, venit, vbi tunc tēporis Dominici gregis vir venerandus, nomine Aluigus, curam gessit. Qui cum digno, vt par erat, honore suscipiens, multiplicibus sanctarum reliquiarum, quarum gratia illò aduenerat, pignoribus donauit, sicque ad propria latum redire permisit.

Nec prætereundum, quòd propter ipsius merita, plurima infirmis præstabantur beneficia, & maximè qui caduco grauabantur morbo, per eius benedictionem à tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis causa studuit occultare, vt si forte aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palàm postularent, donum benedictionis subtraheret, hoc magis asserens Apostolicæ dignitati, quàm suæ congruere paruitati. Per oleum, ab eo in Cœna Domini consecratum, varijs languoribus detenti, pristina restituti sunt sanitati, necnon & oculorum caligine obtenebrati, huius sancti olei vntione merebantur illuminari.

Operæ precium est inferre, qualiter etiam ipse per efficientiã huius sancti liquoris, consecutus est gratiam sospitatis. Quodam itaque tempore ad monasterium Campidonense veniens, tanta infirmitate tenebatur, vt non nisi inter aliorum manus sustentatus, quoquam posset gressum mouere, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc sub omni celeritate Augustam mittitur, oleum ab eo consecratum, deferretur. Quo in ipsa sancta Pentecostes vigilia, hora diei nona delibutus, intantum per gratiam Dei contra spem omnium subito conualuit, vt se reficeret cibo, ac cum fratribus vespertinæ synaxi incolumis interesset, totamq; instantis festiuitatis diem spiritali iucunditate celebraret. Sicque omnibus in commune gratulantibus, ipse sospes in suam sedem est reuersus.

Quodam tempore cum vir Dei vindicem fluuium esset trāsiturus, intantum aluei eius cursum excreuisse inuenit, vt nullus suorum auderet transire per illum. Tunc socijs sui itineris abeuntibus, & vadum, sicubi possent reperire, ad transcendendum quærentibus, ipse cum vno clerico solus remansit, ac prædictum fluuium sine aliqua trepidatione in nomine Domini transiuit. Et vt magis mireris, clericus altiori caballo resedens, à cingulo deorsum se totum aqua infusum, de Episcopi autem soccis è sago factis, quos propter frigus induerat, nec saltem vnum pilum madefactum perspexit. Cui valdè super hoc admiranti interminatus est, dicens; Caue, me adhuc manente in carne, hoc alicui dicere, humilitatis magistrum sequens, qui de semetipso discipulis præcepit, vt visionem, quam vidissent, nemini dicerent, donè filius hominis à mortuis resurgeret. Tua sunt hæc ó Christe opera, tuarum gratiarum insignia, qui in sanctis tuis etiam nunc antiqua coruscare facis mirabilia. Qui enim illi antiquo Hebræorum populo quondam diuiso mari rubro aridum iter præbuiisti, tu hunc famulum tuum per idem elementum siccis vestibus traduxisti, nisi quòd illis aquæ erant pro

H muris

Res mira
sanctæ.

Romã pro-
ficiscitur
orationis
ergò.

Euerhardi
serui Dei
propheta.

En quanti
facit vir san-
ctis. sancto
rū reliquias

Cap. 17.
Morbi
multi, præ-
sertim epi-
leptici ab
eo curantur.
Nota vim
olei conse-
crati.

Eodè oleo
ipse quo-
que curatur

Cap. 18.

Trāsmittit
flumē inun-
dans, nihil
madefactus

Matt. 17.

Exod. 14.

muris à dextris & à sinistris, vt siccis vestigijs per medium transirent: iste verò per medias transiens aquarum undas, in nullo madefactus, te duce, peruenit ad litus. Alio itè tempore dum Ratibonam nauigio per Danubium tenderet, ex incuria nauarum nauis super quoddam impingitur lignum: ex quo patentibus rimis cœpit paulatim impleri aquis. Timore perterriti nauarum ad litus contendunt properè. Quò peruenientes, omnibus quæ in nauis erant, exportatis, obliti sunt Episcopi in puppi residentis. Tunc vnus ex clericis trahens suspiria ex intimo cordis, ait; Væ nobis miseris, quia in tanto periculo obliti sumus nostri senioris. Et hæc dicens, velocitè cucurrit, & humeris impositum ad litus exposuit. Quo egresso, nauis in posteriori parte mergitur, & mirum in modum nauis, quæ plena hominibus cæterisque suppellectilibus super aquas natauerat, viro Dei cum suis egrediente, non potuit diutius, quin mergeretur, subsistere: vt indè colligeretur, quia hanc omnipotens Deus sua manu tenuerat, quando vir Dei cum suis in ea manebat. Itè alia vice vir Dei Romam pergere desiderans, venit ad fluuium Tar nominatum, quem tam periculosa reperit inundatione effusum, vt nec equo, nec nauigio aliquis posset transire illum. Sed sanctus pontifex fiduciam habens in Deo, celebratis in ipsius fluminis ripa Missarum solennijs, prædictum fluuium transuadavit cum incolumitate omnium suorum.

Miraculū
insigne.

Cap. 19.
Monasteriū
S. Stephani.

In illis diebus electus Dei pontifex sacre religionis studio incitatus, diuini amoris igne succensus, cœpit in ecclesia S. Stephani protomartyris Christi, quæ extra urbis mœnia sita est, religiosas fœminas congregare: quatenus in sancto proposito tanto liberius ibidem Deo seruirent, quanto longius à mundanæ actionis labore distarent. Ad quod monasterium dum quadam matrona ad conuersionem veniret, & à congregatione suscepta fuisset, cœpit in Dei seruitio manere deuota, & licet literarum scientia minus instructa, tamen ad exteriora prouidenda satis erat idonea. Vndè sorores ei voluerunt officium cellerariæ commendare, sed illa noluit consentire. Tunc res ad Episcopum defertur. Qui cum eidem iuberet obedire, noluit, sed in obstinatione mentis perdurauit. Sequenti verò nocte huiusmodi verbis corripitur in somnis; Quia, inquit, non obedisti Episcopi præceptis, tandiū ambulandi vsu carebis, quousq; ab illo absolui mereberis. Expergefacta, omninò permansit debilis & clauda, & reuertente ad ciuitatem Episcopo, ante eius presentiam in lectulo est deportata. A quo de inobedientia pariter correpta est & sanata. Ipsa autem, vt se sensit sanatam, currendo antequàm ad ecclesiam Episcopus veniret, præcessit eum, laudans & benedicens Deum.

Castigatur
inobediens.

Claudā san-
nat vir fan-
ctus.

Synodus In
ingelheimē.

Quodam tempore dum omnipotentis Dei famulus ad synodum Episcoporum, quæ in villa regia, Ingelheim dicta, erat congreganda, pergeret, quendam pauperem nomine Rotbertum, obuium habuit, qui ventris sui interiora foris prolapsa, in sinu gestauit. Quem vt conspexit, misericordia motus, ei denarium dari iussit, dicens; In nomine Domini accipe, & vade in pace. Qui mox elemosinam accipiens, perrexit ac meliorari paulatim intantum cœpit, vt post aliquod tēporis spatium sospitati redderetur ad integrum. Idem etiam post mortem viri Dei, alijs iterum præoccupatus infirmitatibus, ad sepulcrum eius veniens, sanari meruit, sicut lector suis locis plenius scriptum inuenire poterit.

Sanat her-
nionum.

Cap. 20.

Igitur sanctus Dei, cælesti desiderio afflatus, cœpit ea, quæ sunt huius mundi, fastidire, terrenarum rerum lucra, Christi amori postponere, & licet hinc retineretur corpore, in cælestibus tamen conuersabatur mente: vt meritò in illorum censeretur numero, qui dicere possent cum Apostolo; Nostra conuersatio in cælis est. Vndè zelum Dei habens, licet non secundum scientiam, cœpit apud terrenas potestates totis viribus agere, vt quidam clericus, Adalbero nomine, suæ sororis filius, totius Episcopatus curam susciperet: ipse autem sub monachica religionis habitu soli Deo vacaret.

Philip. 3.

Nepotē suū
curat sibi
substituere in
administra-
tione.
Prouer. 20.

quod & impetrauit. Sed ille miserandus nesciens, aut scire nolens, à sapientissimo Salomone dictum; Hereditas, ad quam in principio festinatur, in nouissimo benedictione carebit: milites Episcopi, totamq; familiam statim sacramento sibi subijciebat, ac virgam pastorem publicè manu gestabat. Quod cæteri Episcopi indignè ferentes, ambos ad synodum vocauerunt, atque prædictum Adalberonem hereticæ arguunt præsumptionis, quòd domino suo adhuc superstite, talia non pertimuisset usurpare. At ille dum de obiectis sibi criminibus se velle purgare, ab omnibus inuentum est, id aliter fieri non posse, nisi allatis sanctorum Euangeliorum in medio libris, sacra-

mento

merito firmaret, se nefesse hæresin fuisse, quod talia præsumpsisset facere. Quibus omnibus, quæ ad hoc negotium pertinebant, expletis, in sua redierunt ambo Episcopus & Adalbero, tali à sancta synodo consolatione percepta, vt Episcopo decedente ab hac vita, nullus pro eo alius esset ordinandus, nisi ipse Adalbero. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium cõtra Dominum. Nam eodem anno post post aliquot menses, dum quadam die iam ad vesperam inclinante prædictus clericus ad mensam cum viro Dei nouiter secta vena resideret, ac quiddam molestia propter incisionem venæ sustineret, è consensu medio concitus surgens, cubitum ipe perrexit, statimque in ipsa nocte præsentis vite terminum clausit. Quod Episcopus mox per spiritum cognoscens, eum, qui ad annunciandum mortem sibi intrauerat, præueniendo dixit, Scio quod Adalbero mortuus est. Festina, & fac vehiculum præparari, vt possimus illum Augustam deferre. Morabantur autem tunc tẽporis in castello, quod Dilinga dicitur. Corpus vero eius exanime à sancto Pontifice Augustam perlatum, in ecclesia sanctæ Mariæ est humatum. Inter cætera misericordiæ bona, quæ pro requie animæ sui nepotis agebat, etiam Abbatiam, Vtenbura dictam, quam ille dum viueret, in beneficium tenebat, sibi adquisiuit, & tandiũ tenuit, quousq; ipsius studio donata est libertatis priuilegio.

Die quadam sancto Dei iter agenti homo quidam adstitit, qui Conradi Constantiensis Episcopi obitum certissimum indicauit. Illis verò, qui aderant, sperantibus, quod statim pro requie illius solita exequiarum officia vellet celebrare, ille per secretum nuncium, sibi adesse solitum, sciens quid ex hoc esset verum, ait eis; Manete interrim animæ quiores, manè comperietis, quid in de credere debeatis. Crastina die diluculo quidam Constantia venit, qui prædicti viri sospitatem annunciauit. Et omnipotentis Dei famulus, licet tempus resolutionis suæ iam instare non ignoraret, tamen quandiũ potuit, vehiculo superpositus, diuini verbi semina in audièrium corda spargere non cessauit. Quem equitandũ vsũ, etiã dum adhuc sanus esset, habebat, vt quocunquẽ sibi eundum fuisset, sella super quadrigam posita solus sederet, comite vno tantum clerico, cum quo, absque impedimẽto aliorum, posset liberius vacare decantationi psalmorum. Festinabat autem quanto cyus Augustæ ciuitatis mœnia ingredi, vt ibi sicut bonus mercenarius, præstolaretur finem operis sui. Quò cum peruenisset, quandiũ vires sufficiebant, inter quotidiana Missarũ solennia, salutare hostiam Domino exterius immolabat, ac seipsum interiũs victimam in ara cordis mactabat. Ad mensam cum alijs sedens, illis manducantibus & bibentibus, ipse penè manebat ieiunus. Erat ei cibus aut dulcis psalmorum suauitas, aut sacrarum lectionum assiduitas, inter quas maximè delectabatur audire ex quarto libro Dialogorum sancti Gregorij, qualiter multi è corporibus exempti, in spiritu rapiebantur, ac iterum reuertebantur. Inter hæc præcepit suarum rerum procuratoribus, vt in omnibus omnino locis, ad suum ius propriè pertinentibus, quæcunquẽ inuenire possent, in tres portiones partiretur, & vnã ex his, ipso adhuc viuente, presbyteris & pauperibus largirentur. Ipse autem quadam die se ad audiendam Missam in ecclesiam deferri iussit. Quæ audita, vnum tapete coram sancta Cruce sterna fecit, seseque super hoc in orationem dedit, & quasi post dimidiam horam surgens, quicquid supellestilis habere potuit, coram se importari præcepit, præter paraturam vnius domus ac mensarum, & vnum opertorium, quæ reliquit ad sui successoris seruitium. Cætera cum perspexisset, ingemiscendo dixit, Ah, quid mihi hæc omnia? Fuerunt tantum pauca* camisilia, & septem vel octo mensalia, duo sarcilia, & de argento decem solidi: quos statim per manus præpositi præcepit inter pauperes diuidi, cætera verò clericis erogari: sicq; vigilanter studuit se ad hoc præparare, vt pulsanti confestim posset aperire.

Talia meditãdo, aliquoties ad superna rapiebatur in spiritu, ac quædam vidit & audiuit, quæ etiam ex parte sibi assistentibus narrauit. Nam Vvernhero Fuldensi Abbati se visitanti annunciauit, vt si duo in electione eius cæteris concordarent, sibi in Episcopatu successurus esset. Item alia vice quasi de graui somno excitatus, ait coram omnibus; Heu, heu, quod illum Adalberonem nepotem meum vnquam vidi: quia pro eo quod ei cõsentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium. Legimus huic simile, sancto Gregorio in libro Dialogorum referente, quod quidam Paschasius, Apostolicæ sedis miræ sanctitatis Diaconus, cuius post mortem dalmatica feretro eius superposita, dæmoniacum terigit, & sanatus est: loco pœnali deputatus est, ob nihil aliud, nisi quod in illa contentione, quæ

Prouer. 21.

Adalbero nepos viii Dei mortur.

Dilinga castellum.

Cap. 21. Fallum de obitu Constantiæ. Episcopi. rumore coarguit.

Quotidiè etiam grandi deus offert sacrificium.

Delectatur lectione librorũ dialogorũ S. Gregorij, quos nostri heretici reproband.

Omnia sua sub mortem distribuit.

Cap. 22.

Nullum etiam veniale peccatũ manet impunitum. Lib. 4. c. 40.

inter Symmachum Papam & Laurentium facta est, ad Pōtificatū ordinem Laurentium elegit, & omnium pōst vnanimitate superatus; in sua tamen sententia vsq; iuxta diem sui exitus perstitit; illum amando atque p̄ferendo; quem Episcoporum iudicio p̄esse sibi Ecclesia refutavit. *Qua* in re quia similis penē fuerat amborum culpa, (nam sicut ille Laurentium, etiam Symmacho ordinato: ita & iste, se adhuc in carne manente; licet simplici oculo minū rectum intuyendo; voluit contra statuta Patrum Adalberonem fieri Episcopum) hoc idem sentire possimus de hoc viro sanctissimo; quod ille de Paschasio. Nam Petro super hoc quātionem mouenti, cur is, qui tantæ sanctitatis extiterat, quod eius feretri vestis tangi potuit, & malignus spiritus ab obfesso homine fugari; post mortem ad p̄nalem locum ductus sit, ita respondit; Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quā sit multiplex, agnosci; cuius iudicio actum est, vt idem vir Paschasius & ipse intus aliquanto tempore reciperet, quod peccasset; & tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoq; cognoscentibus pia opera fecisset; vt ne hi, qui eius bona viderant, de elemosynarum illius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine vltione laxaretur culpa, quam nec esse culpam credidit; & idcirco hanc fletibus non extinxit. Sic quondam dux ille magnus Israëlitica plebis Moyses, cum quo, sicut scriptura refert, loquebatur Dominus facie ad faciē, sicut loqui solet homo ad amicum suum, & Aaron frater eius sacerdos, propter culpam incredulitatis, à Domino audire meruerunt. *Quia* non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israë, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis; vt in firmiores quidam perpendant, qua p̄na in vltimo examine districtus iudex grauiter delinquentes feriat; cum etiam sic eos h̄c corrigat, quos in electorum numerum ante secula p̄destinauit. Sed de his haec nunc ad intermissa redeamus.

Error sancti viri in nepote sibi substituitendo.

Lib. 4. c. 41.

Exod. 33.

Num. 20.

Cap. 23.

Toti orbi venerandus natalitius dies Præcurforis.

Bis sacrificat in ferijs S. Iohannis.

Primam, id est, Primæ horæ preces canonicas.

Psal. 41.

Cap. 24.

Capit. dissoluti & esse cū Christo.

Aderat nanque toti orbi venerandus dies, videlicet Præcurforis Christi natalitius; & vir Dei graui infirmitatis oppressus languore; quasi de somno enigilans, cepit adstantibus dicere; Vestibus me induite; & calceamenta pedibus meis præbete. *Qui* licet illum per excessum mentis putarent talia præcipere, tamen studuerunt obedire. Insuper etiam pontificalibus indutus ornamentis, cum omni, vt mos est, Clericorum officio contra spem omnium processit in publicum; & sic ad Ecclesiam beati Iohannis Baptista, quam ipse construxit, veniens; tandiū sine aliquorum sustentatione hominum inuictus perstitit; donec bis, sicut ea die statutum est; sacra Missarum solennia celebrauit. *Quibus* ritè expletis confedit; atque coram adstantibus clericis dixit; Huius celebrationem officij non mearum virium possibilitate; sed ex diuinitate præsumpsi Christi atque iussione. Nam hodiè cum dulci quiescerem somno, adstiterunt coram lectulo meo iuuenes duo ad spectu formosi; quorum vnus dixit mihi; *Quare* non surgis; debes enim hodiè ad S. Iohannem Missam celebrare. Cui alter respondit; *Quomodo* potest hoc fieri; quia pro impossibilitate virium adhuc Primam non expleuit; Tunc ille, qui prius; Surge, ait; & secundum meum sermonem in præfata ecclesia diuinum mysterium festina implere; quia præter te nullus ibi cantabit hodiè. His dictis, ad cubiculum redijt; atq; imminentem vocationis suæ diem latus expectauit; atq; illud Psalmistæ sapius iterando dicebat; *Quando* veniā, & apparebo ante faciem Dei mei? Interim dum ab eo, qui coram se lectorisungebatur officio, interrogatus fuisset, vt rumnam p̄ infirmitate, qua derinebatur, se de hoc seculo migraturum speraret; respondit; *Certissimè* scio, quia breui de hoc transurus sum mundo. Cui cum moerēs diceret, quem Episcoporum vellet ad corpus suum sepeliēdum vocare, maxime cum nullus comprouincialium remansisset antistitum, qui non esset inuitatus ad regale in Francia colloquium, ait; *Nōstis* terram terræ commendare. Vos tantum, cum tempus fuerit, quod vestrum est, facite; Dei est, mei corporis commendatorem prouidere.

Paucis verò diebus interpositis, in vigilia Apostolorum, quæ illo anno euēnit quarta feria, certissimè sperabat se migraturum de hac vita. *Quod* licet nominatim non exprimeret, verbis tamen quibusdam aperuit, ac signis euidentibus declarauit. Sanè signis omnibus ad vesperam circunquaquæ sonantibus, ipse balneatus & sacris vestibus ad hos vsus paratis indutus, humi se prostrauit, acsi hora eadem moriturus. Finita ergo synaxi vespertina, cum aliorum adiutorio se leuauit, & quasi quodammodo mente confertatus, dixit; *O* sancte Petre, nūc non fecisti, sicut ego æstimauit. *O* beatum virum omni laude prosequendum, cuius spiritus quidem erat promptus, licet caro

caro infirma? cui viuere Christus fuit, & mori lucrum. Vnde tantoperè corporeæ inhabitationis molem velut carcerem quendam abhorrens, cupiebat dissolui & esse cum Christo. Iterum spiritu recreatus, per continuos quinque dies mansit quietus, petens ab omnibus indulgentiam, & benedictionem tribuens, donèc finita quinta diei feria, ac vespere lucente in sextam sabbati, aurora iam diei latitudinem terræ illuminante, clericis canentibus & sentibus, in manus Domini spiritum suum commendans, anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi nongentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octogesimotertio, ordinationis verò quinquagesimo, velut in Iubileo, hoc est, plenè remissionis anno, verus Hebræus transit de huius mundi Aegypto liber, in æternum victurus cum Domino suo. Transijt autem 4. Nonas Iulij, tempore Ottonis secundi Imperatoris Augusti. Cuius corpus cum ex more ad lauandum esset denudatum, tanta de eo manauit suauissimi odoris fragrantia, vt cunctorum ibi adstantium perfunderet nares & pectora. Cuius odoris suauitas tandiù permāsit, quousquè lotum ac vestibus indutum, in ecclesiam fuit deportatum. Post hæc autem adueniente Vuolffgango, Ratisbonensis ciuitatis Episcopo venerando, sancti viri corpus in ecclesia sanctæ Afræ martyris cum magna gloria est humatū, vbi ipse, dum adhuc viueret, sibi sepulcrum præparari fecit. In quo loco multa per eius merita sunt assidue miracula, multa infirmis præstantur beneficia, donante Christi gratia? Qui cum Patre & Spiritu sancto viuut & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Grandæguis obdormit feliciter in Domino.

Suauis. odor è corpore defuncti.

Multa miracula ad eius monumentum.

Hæc tui examen iudicij expectat, vt te benigno iudice valeant rata consistere. Opto Pater beatissime, vt in Christo valeas, meique memor semper existas.

MARTYRIVM S. Goæ quod quinto die Iulij celebratur, describitur in vita S. Sebastiani martyris 20. Ianuarij, ad quam lectorem remittimus.

VITA ET MORS ESAIÆ PROPHETÆ, PER D. EPIPHANIVM CONSTANTIAE CYPRI EPISCOPVM
descripta. Habetur in libro eius de vitis prophetarum.



ESAIAS Propheta quidem in Hierusalem de tribu Iuda ortus est: sub Manasse verò Rege Iuda sectus in duas partes, occubuit. Tumulatus est sub quercu Rogel iuxta transitum aquarum, quas olim Ezechias Rex obstruxerat, cum eas vndas peruias efficeret. Fontem quippe Deus Seloam causa propheta effecit, quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est, vt vnda illic effingere dignaretur. Et confestim demisit illi cælitus aqua viuentem, vnde fortitus est locus ille appellationem Siloam, quod, si quis interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoque Rege, antequam stagnum piscinasque fabricasset, precibus Elaia effectum, vt exigua lympha scaturiret, quodd populus in obsidione hostium teneretur, & nè ipsa periret vndis destituta ciuitas.

Vide efficaciam orationis Elaia.

Milites igitur perscrutabantur vndique, vbinam sedare sitim daretur: ignorabant etenim. Vrbe quippe iam potiti, obsidebant, Seloam. Quandoquæ ira que Iudæi aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire nesciebant, latex nanque aufugiebat. Eoque ad hodiernum vsque diem eructatur clanculum, quod significet mysterium. Cæterum quandoquidem Esaia propheta istuc acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè prophetam istuc solo reddidit cum gloria, & honorificè, vt per eiusdem intercessionem in consummatione vsque seculi, aqua eiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebant acceptum. Extat autem monumentum Esaie finitimū sepultura principum post sepulcra sacerdotum, versus Norum partemque meridionalem. Salomon enim Hierosolymam constituens, Regum excitauit Mausolea, prout illa Dauid descripserat. Existit autem Orientem versus Sion, quæ introitum à Gabaoth possidet, quæque ab oppido viginti distat stadis. Foueam præterea fecit illic incomprehensibilem, magnæ etiam dùm parti mortalium incomptam.

Sancti post mortem orat pro nobis, & impetrat exhiberi nobis à Deo beneficia.